

Generum meorum nova prodiit editio, quæ erit 5^a; dedi in mandatis quòd sex exemplaria mitterentur *Cette* ad D. Holm., qui ea tibi traderet; quæso, ea gratiosè excipias, et uti soles, in meliorem interpretare partem.

Accessit simul ad Reginam egregia collectio *piscium*, quam miserat D. Holm, quam Regina gratiosissimè excepit, et datâ occasione promisit se inservituram Dom. Holm.

Hisce diebus redux, reperio alteram tuam epistolam ditissimam observationibus; tu unâ epistolâ plura doces quàm multi alii pluribus voluminibus; legi et relegi has tuas epistolas certè decies, semper cum fructu.

Poterium hybridum, quod hodiè floret in horto, habet non tantùm folia infima pinnata ex 5, sed et ex 7 et novem foliis.

Leucojum maritimum, habui in horto vivum, et exsiccatum adhuc adservo, et certissimum est omnes *siliquas* esse apice trifurcatas, apicibus lateralibus omninò transversalibus, omninò uti figura Camerarii in *Horto*.

Geranium petræum quod nuper à te accepi, itâ refert *Geranium cicutarium* ut viderem esse idem, nisi tuum esset perenne, quòd fortè ex cælo mitiore et loco antè rupes. Quæso, inspicias flores, et videas numne in petalis 2 superioribus